Fabricius, V
De Jove et fato in P.
Vergili Maronis Aeneide

De Jove et fato

in P. Vergili Maronis Aeneide.

V. Fabricius.

Lipsiae
In aedibus G. Focki
MDCCCXCVI.

,896

De Jove et fato
in P. Vergili Maronis Aeneide.

Sors. Ad significandam fati vim in Aeneide usurpantur: sors, eiusdem stirpis atque sortiri, qua in significatione naturali et principali invenitur I. 507:

iura dabat legesque viris operumque laborem
partibus aequabat iustis aut sorte trahebat.

eodem sensu: II. 201; IX. 268 etc. etc. VI. 431:

nec vero hae sine sorte datae. sine iudice. sedes:
quaesitor Minos urnam movet.

Quo loco nonnulli interpretes „sors" verterunt vocabulo fati, quod autem vitiosum esse existimo. Hic poeta sui temporis mores atque consuetudines in coelicolas transtulit. Ut enim Romani sortiebantur iudices, sic et inferis iudices sorte dabat Juppiter omnipotens et quaesitor Minos sorte ductus urnam movet.

b) significans oracula, dicta deorum ut IV. 345:

sed nunc Italiam magnam Gryneus Apollo.
Italiam Lyciae iussere capessere sortes.

eodem sensu: VI. 72: VII. 269; XI. 110.

c) idem valet atque exitus, casus, finis ut X. 450:

. . . . sorti pater aecus utriquest.

XI, 165: . . . . sors ista senectae
debita erat nostrae.

pro ea quae sorte debita sunt senectae. V. 190:

Hectorei socii, Troiae quos sorte suprema
delegi comites

pro quo II. 507 dicitur: urbis captae casus

d) sensum fortunae habens ut XII. 54:

at regina, nova pugnae conterrita sorte,
flebat.

pro quo IV. 603: anceps pugnae fuerat fortuna et XII. 932: utere sorte tua quod idem atque utere fortuna tua (rebus secundis).

Esse autem locos qui, quomodo sit sententia ac voluntas lectoris, inter se confundere et alias alii verti possint facile intellegitur. I. 138:

non illi imperium pelagi saevomque tridentem
sed mihi sorte datum = sorte Jovis ut IV. 431 sive fato.

idem II. 555 et VI. 761.

Addendi sunt praeterea duo loci, quibus sors cum fato coniungitur. VI. 72:

hic ego namque tuas sortes arcanaque fata,
dicta meae genti, ponam.

et illud X. 501:

nescia mens hominum fati sortisque futurae

qui argumento maximo et firmissimo sunt, quod usitata definitio: sortem dici de rebus apertis, de certo casu — de rebus futuris, de fortuna incognita fatum, vitiosissima est, cum VI. 72 fata Aeneae aperta sint et vicissim X. 501 sors ipse hominum menti incognita.

Quae autem sit ratio sortis ad Jovem nullo loco quamvis valde dolendum sit cognosci potest.

Casus. Casus apud Vergilium frequentissime ponitur notione discriminum rerum, calamitatum, quae in se continent cum errores tum labores et pericula, quae Aeneas eiusque comites perpessi sunt ac pertulerunt ut I. 9; I. 204; I. 240; I. 599; I. 754; II. 10; II. 750; III. 183; III. 265; III. 505; III. 709; VIII. 578; IX. 277; IX. 291; IX. 514; X. 61; XI. 244; XII. 21; XII. 32; XII. 61. In principali autem significatione e verbo cadendi deductus reperitur casus V. 453:

At non tardatus casu neque territus heros
acrior ad pugnam redit.

et idem atque ruina, excidium II. 507:

urbis uti captae casum convolsaque vidit
limina tectorum.

pro quo V. 190 sors scribitur.

Ex ambiguo autem sunt loci ut I. 623:

tempora iam ex illo casus mihi cognitus urbi
Troianae. et V. 350:
me liceat casus misereri insontis amici.

Illo loco vertatur: iam ex illo tempore cognitus mihi excidium urbis Troianae sive sors; fortuna urbis; hoc autem loco me liceat misereri lapsum sive sortem insontis amici. Interpretationem autem quae pura et emendata sit in medio relinquo.

Addendi sunt loci quibus casus notione facti, rei gestae, eventus adhibitur, ut II. 105:

tum vero ardemus scitari et quaerere casus.

simili modo III. 299; VIII. 533; IX. 299.

Restant illi I. 221; I. 614; II. 93; II. 563 quibus casus idem valet atque sors et I. 615; III. 317; VI. 531 quibus fati sensum habet. Casus eiusdem stirpis qua cadere plerumque rem non necessariam, adventiciam, fortem, fortunam notat ut in aliis cognosci potest ex IX. 211:

si quis in adversum rapiat casusve deusve,
te superesse velim.

et XII. 321:

incertum quis tantam Rutulis laudem, casusve deusve
attulerit

quibus locis caeco casu opponitur deorum numen.

Fortuna. Fortuna apud Vergilium dupliciter dicitur, ut et secunda et adversa sive inimica. Priorem vim habent

in aliis: II. 385; IV. 109; VII. 243; VII. 413; VIII. 15; VIII. 334; IX. 240; IX. 723; X. 43; X. 112; X. 284; X. 422; XI. 180; XI. 413; XI. 427; XII. 436. posteriorem I. 240; I. 628; V. 356; V. 604; V. 710; VI. 62; VI. 95; VI. 533; IX. 41; X. 435; XI. 108. Aliis autem locis fortuna congruit partim cum sortis ut III. 615; IV. 603 pro quo revera legimus sors in XII. 54:

at regina, nova pugnae conterrita sorte,
flebat

partim cum fati ut X. 49 et XII. 677:

et quamcunque viam dederit fortuna, sequamur

pro quibus scribitur V. 709 et III. 7:

. . . . quo fato trahunt retrahuntque sequamur

Omnibus aliis locis qui restant fortuna eandem significationem habet quae Parcae aut casus. Delectationis quoque plena est sententiarum conformatio audacissima in XII. 919:

cunctanti telum Aeneas fatale coruscat,
sortitus fortunam oculis, et corpore toto
eminus intorquet.

i. e. Aeneas autem oculis mensus intervallum, quod Jovis numine finitum erat Turno ad recipiendam plagam extremam, coruscat telum mortiferum etc.

fors eandem radicem habens quam fortuna invenitur II. 94; XII. 41 et X. 458; XII. 714 quibus locis posterioribus congruit ipse cum fortuna secunda.

Fortuna in hominum manu est, fortuna mihi videtur quasi mobilis et mutabilis contraria fato quod est immobile et immutabile. Neque aliud nisi illo modo explicari potest illud VI. 683 quo pater Anchises in amoenis virectis fortunatorum nemorum recensebat fataque fortunasque virum moresque manusque i. e. Aeneas recensebat fortunas, quas perferre aut effugere in nepotum manu est et fata quae mutari

non possunt, quae immutabili omnipotentis numine perferenda sunt.

Numen. Numen quo Vergilius utitur notione

1. potestatis, auctoritatis ut I. 48:

. . . . et quisquam numen Junonis adorat

praeterea i. e. potestatem, auctoritatemque Junonis. Eodem sensu: I. 447; I. 666; I. 674; II. 154; II. 232; II. 336; II. 623; II. 703; III. 543; III. 600; IV. 269; IV. 611; V. 56; VI. 50; VI. 324; VII. 297; VII. 310; IX. 247; XI. 232; XII. 180.

2. voluntatis, iussi ut II. 123;

hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu
protrahit in medios: quae sint ea numina divom
flagitat i. e. quae sint voluntas divom eorumque iussa flagitat. Simili modo interpretandum est I. 133; II. 776; VI. 266; VI. 368; VII. 119; VII. 385; VII. 584; VIII. 574; IX. 661; X. 31; XI. 901; XII. 188.

3. idem significans atque deus ut I. 603:

. . . . si qua pios respectant numina.

Eodem sensu: I. 8 (laeso); II. 141; II. 183 (laeso); II. 396; II. 735 (male amicum); III. 264 (magna); III. 372; III. 633 (magna); III. 697 (magna); IV. 382 (pia); VI. 68; VIII. 186; VIII. 512; X. 221 (maris); X. 375; XII. 182 (quae caeruleo sunt numine ponto); XII. 201.

Idem atque oracula, dicta deorum in III. 363:

. . . . et cuncti suaserunt numine divi
Italiam petere et VIII. 78:
adsis; o tantum et proprius tua numina firmes.

Addendi sunt V. 466:

non vires alias conversaque numina sentis?

pro quo in oratione soluta dicitur: mutatam certaminis fortunam. et III. 600:

. . . . per sidera testor

per superos atque hoc coeli spirabile numen,

tollite me, Teucri. pro: per superos atque per auroram.

In II. 178 canit Calchas:

nec posse Argolicis excindi Pergami telis

omina ni repetant Argis numenque reducant i. e. Palladium reducant.

Significationes autem sub 1, 2, 3 saepius inter se confundere eorumque discrimen saepissime ex lectoris cogitatione dependere ad intellegendum difficile non est. Ponamus exempli causa II. 336; V. 56; VIII. 574 quibus locis numen verti potest aut voluntate, iussis divom aut potestate, auctoritate. Idem in XI. 232 quo vis numinis simillima notionis est non tantum sub 3 sed etiam sub 1 et 2.

Interest autem permultum inter numen et deum, quod ut mea fert opinio facile cognosci potest ex II. 141:

. . . . te per superos et conscia numina oro. VI. 68:

. . . . da Latio considere Teucros

errantisque deos agitataque numina Troiae. X. 221:

. . . . nymphae quas alma Cybele

numen habere maris (iusserat).

Primo autem loco numina sola neque vero superos conscios esse veri nulla ratione contenditur; conscia etiam ad superos referendum est. Infra videbimus deos, superos conscios esse futuri, qua de causa etiam veri, quod vera sunt res futurae. Quanquam sine dubio in praesentia interdum perspiciendum est verum, tamen saepissime ei oppositum est falsum, fictum; verum autem per se cognosci non potest nisi aperte post acerrimum vehementissimumque certamen cum ficto falsoque in tempore futuro.

Sin autem tres locos, quos supra commemoravimus, accuratius consideramus, apertum est ac manifestum superos, deos pertinere ad personas, ad divinitates . . . numina. Errare autem

promovere nemo potest nisi persona, cum divinitas ut res sensibus non subiecta motionis quidem compos non sit, sed tamen actionis sola mente percipiendae ut animi motus, perturbationis quae nimirum dei miscere, ciere, agitare possunt. Cuius rei testis est etiam X. 221 quo nymphas numen habere maris alma Cybele iusserat. De corporibus autem visu tactuque manifestis scribendum sit esse pro habere. Qua de causa dei modo amicos, amores, delicias habent, qua de causa neminem facere, pingere possunt nisi deos, quam ob rem solus deus ducit, regit homines.

Fatum. Fati vocabulum apud Vergilium centies vicies ter invenimus et significat.

1. numen divi ut II. 54:

> et si fata deum, si mens non laeva fuisset
> impulerat ferro Argolicas foedare latebras

idem II. 257; IV. 614; VI. 376; VII. 50; VII. 239.

2. oracula sive dicta deorum ut I. 382:

> bis denis Phrygium conscendi navibus aequor
> matre dea monstrante viam data fata secutus

eodem sensu: V. 656; V. 703; VI. 45; VI. 67; VII. 255; VII. 272; VII. 584; VIII. 133; X. 67; X. 154.

3. imperium, iussum ut VIII. 292 quo Hercules duros mille labores rege sub Eurystheo fatis Junonis iniquae pertulit. i. e. imperiis iussis Junonis iniquae. Idem IV. 614.

Praeterea fatum legitur IX. 204 pro periculis XII. 507 pro morte et III. 9 pro vento. Omnibus autem aliis locis fatum idem est atque fortuna, fors, casus, sors aliaeque notiones fati vim significantes.

Fas eiusdem radicis qua fatum (a fando) et sensum et vim fati perhibet: legitur autem fas II. 778; VI. 438; IX. 96, aliis autem locis quibus apud Vergilium fas scribitur idem atque ius valet.

Derivata ex fato et fas sunt adiectiva: fatifer et fatalis, aut fatum ferens aut fato debitum significans ut IV. 355; V. 82 fatalia arva i. e. arva fato debita aut II. 237; XII. 919 fatalis machina et fatale telum i. e. machina Troiae fatum (interitum) ferens et telum fatum (mortem) ferens pro quo VIII. 621 fatifer ensis et IX. 631 fatifer arcus scribitur. Simili modo adiectiva usurpantur: II. 165; VI. 409; VI. 515; VII. 115; IX. 133; XI. 130; XI. 232; XII. 232.

Parcae. Unicuique ab initio fatum debitum est; confer VI. 683 quo pater Anchises in sedibus beatis apud inferos nepotum fata recensebat. Cui fato homo mortalis subiectus est per totam viam expressam imagine longi fili quod ad ultimum mors secat. Neque fieri potuit quin phantasia sibi personam effingeret qui hoc filum legebat idque ad extremum secabat: parcam — quo vocabulo Vergilius in singulari non utitur cf: I. 22; III. 379; V. 798; IX. 107; X. 419; X. 815; XII. 147; XII. 150. In mythologia autem saepissime proprietas quaedam Jovis humana specie inducitur, primo tropice per imaginem, deinde vera germana persona, quae postremo animal per se ratione praeditum sive vim divinam se gerit. Cf.: Naegelsbach. Homerische Theologie § 101. 102. Quam proprietatem in aliis invenimus etiam in III. 379 quo cetera fari parcae prohibent i. e. Juppiter qui omnium vaticiniorum auctor est cetera fari prohibet III. 250; praeterea in I. 22 et V. 798 quibus parcae pro fato sive Jovis numine usurpatur.

Fati conscii. Fati apud Vergilium conscii sunt:

1. vates ut Deiphobe Glauci quae III. 443 rupe sub ima fata canit et VI. 66 praescia venturi est. cf. etiam VI. 10. 83 sqq. III. 94 sqq. quo Aeneas primum audit

. . . . quae vos a stirpe parentum
prima tulit tellus, eadem vos ubere laeto
accipiet reduces. antiquam exquirite matrem.

III. 250 sqq., quo Celaeno maxima furiarum Dardanidis pandit, quae Phoebus Apollo ei praedixerat.

III. 359 sqq. quo Aeneas quaesit Helenum

Troiagenam interpretem divom, qui numina Phoebi,
qui tripodas, Clarii laurus, qui sidera sentit
et volucrum linguas et praepetis omina pinnae.

X. 417 quo genitor Halaesi fata cavens filium silvis celaverat. III. 183 canit sola Cassandra Anchisae casus generis Teucrorum et II. 246 aperit eadem fatis futuris ora dei iussu non unquam credita Teucris. VII. 96 sqq. quo Faunus Latini regis genitor progeniei canit, ne petat

. . . . conubiis natam sociare Latinis.
externi venient generi, qui sanguine nostrum
nomen in astra ferant.

Restant II. 122; VII. 79; VIII. 499 quo universe vates et haruspex fata canunt.

2. dei ut Vulcanus VIII. 627 haut vatum ignarus venturique inscius aevi. I. 39 Juno non potest Italia Teucrorum avertere regem quippe vetant fata, ergo praescia est Juno venturi; quod intellegi potest etiam ex XII. 808 quo loco lucide Jovis voluntatem i. e. fatum Turni Junoni notam esse legitur. V. 704 Tritonia Pallas, quae seniori Nauti responsa dabat

. . . . vel quae portenderet ira
magna deum vel quae fatorum posceret ordo

III. 148 sqq. effigies sacrae divom Phrygiique penates

. . . . sic adfari et curas his demere dictis
quod tibi delato Ortygiam dicturus Apollo est,
hic canit et tua nos en ultro ad limina mittit etc.

Ut autem hic omnium vatum auctor Apollo videtur esse, sic etiam III. 250; III. 359; II. 246; VI. 77 quibus omnibus locis et Celaeno furia et Helenus et Cassandra et Deiphobe

Glauci Apollinis iussu canunt atque praedicunt; Apollinem ipsum autem donum canendi a Jove omnipotenti accepisse ex III. 250 apparet.

3. inferi videmus in VI. 683 quo pater Anchises convalle virenti inclusas animas superum ad lumen ituras lustrabat et recensebat caros nepotes eorumque fata fortunasque moresque. et Creusa II. 780 sqq. quae infelix simulacrum atque umbra visa ante oculos Aeneae praedicit, longa futura exilia, vastum maris aequor arandum, venturum in terram Hesperiam etc.

4. sidera IV. 519 conscia fati, quod sidera quasi coeli oculi omnia vident itaque et hominum fata; confer IV. 167 quo loco fulsere ignes et aether conscius conubiis in spelunca apaca nocte tecta.

Atque quamvis sit molestum confitendum est neque vates neque deos conscios esse fati toti atque universi. Neque Helenus patrem Anchisem brevi moriturum Aeneae praedicere potest neque IX. 328 ipse Rhamses augurio pestem depellere potuit se nocte ad Teucrorum castra interiturum nesciens. I. 18 Juno quanquam progeniem Troiano a sanguine excidio Libyae venturam audiverat, quae Tyrias arces olim verteret, tamen autem omnibus nervis contendit, ut a Libya malum depelleret fataque flecteret. Ex quo conficitur ut Juno nequaquam conscia fuerit fati toti atque universi, quod, ut ipsa confitetur regina divom, mortalibus et deis aeternum, inviolatum sit neque flecti possit. Audierat Juno neque ultra. Idem dicendum est de Venere I. 261 sqq. cui, cum de nepotis carissimo fato timeret, hominum sator atque deorum longius volvens fatorum arcana movet.

Epitheta Jovis. Omnibus autem locis de fato relatis atque expositis videamus qualem finxerit Vergilius Jovem Saturnium. Epitheta Jovis, dei optimi maximi, apud Vergi-

lium exigua sunt ac leviora Homericis. Si quae diligenter consideramus removenda sunt praeterea non pauca, ut magnus, cum in aliis et Apollo IX. 654 et III. 12; X. 6 ipse omnes dei magni appellentur. Pari modo magnanimus et genitor comprobari non possunt, quod illud etiam de Aenea dicitur I. 260 hoc de Neptuno I. 155. Ipse omnipotens, quod vi ac significatione omnia alia epitheta multo praecurrit, pertinet nequaquam ad Jovem solum. Legimus in aliis IV. 693 et VII. 428 omnipotens (Juno) Saturnia XI. 790 omnipotens Apollo VIII. 324 omnipotens fortuna et ipse omnipotens Olympus XII. 791 quod pro omnipotenti Olympi rege. Epitheta autem, quae pertinent et ad alios deos aliaque numina, summo omnium deumque hominumque leviora sunt ac parum aut nihil valent neque aliud nisi naturam significant quae est promiscua et summo Jovi et aliis deis aliisque numinibus.

Juppiter Olympicus. Nunc autem respiciamus ceteros locos quibus de Jove scribitur. Juppiter est pater, genitor, rex hominum deumque, rector boni malique, cui inest aeterna ac prima potestas omnium rerum X. 100, nihil aliud est quod iam implorare dei possunt X. 19. Cuius autem potestatis symbolum fulmen est quod etiam quo utantur interdum carrissimis suis tribuit I. 42. Fulmine homines deosque terret I. 229 et iratus telum contorquet in numinis sui et iussi contemptores quos terribili igni praecipites ad imum Tartarum, ad umbras adigit VI. 592; VII. 773. Caelo ab alto clarus intonet qua re hominum consilia probat iisque benevolentiam suam ostendit VII. 141; II. 692. Regit universum et torquet sidera mundi IX. 93 et caelum et terras numine suo IV. 269, condidit caelum umbra et noctes diesque efficit VI. 271. Ventos tempestatesque sonoras quae effusa secum terras caelumque profundum ferre videntur potenti dextra frenat I. 60, suo numine fiunt imbri ac grandines, IX. 670, caelumque

terrasque serenat I. 255; vitae necisque dominus est morbosque mortalibus mittit XII. 851 fulmine sancit foedera, tuetur hospites atque hospitium I. 731; XII. 200.

Rex est Juppiter in deorum consilio quod considit in alto Olympo. Intrantem salutant eique obviam eunt di omnes deaeque. Concilio finito omnes caelicolae eum medium ad limina ducunt. Eo praesente voce clara, magna loqui audet nemo, susurri modo pervalant deorum ordines, sola murmura caeca audiuntur. Verba facere coepit et domus alta deum silescit, silet arduus aether, zephyri ponuntur, Neptunus ipse tumida aequora temperat rotisque levibus summas perlabitur undas. Sin autem adnuit coelestibus tellurem solo tremefacit, intonunt poli et concutitur sedibus suis altitonans Olympus X. 100 sqq.

Haud scio an Homerus Jovem talem potentem atque augustum qualem Vergilius finxerit.

Juppiter una cum fato. Re vera subiecti sunt Jovi omnes et homines et dei et fatum quod omnibus rebus humilius ac Jovis infirmius sine ullo dubio in Olympici dicione est. Cuius argumentum sint in aliis X. 100; X. 18 quo patri omnipotenti prima atque aeterna potestas omnium rerum inest XII. 829 quo Juppiter appellatur hominum rerumque repertor qui III. 375 mortalibus fata sortitur. Qui autem loci praeter ea confirmant atque evincunt Vergili opus cum Homeri temere comparari non posse, cum ni Juppiter rerum omnium repertor ni qui fata sortitur apud Homerum inveniatur nequaquam Vergilium fati doctrinam Jovisque potestatem atque imperium ex Homero hausisse dici potest.

Sed revertamur ad rem et spectemus primo locos quibus Jovis potentia a fati vi seiuncta per se nullius vel adiumento vel auctoritate dominari videatur.

V. 784: nec Jovis imperio fatisque infracta quiescit.

Junonem ne longa dies neque ulla pietas mitigat, omnia movet et superos et Acheronta VII. 312 neque etiam revocant Jovis imperia, iussa: naviget in Italiam qua genus alto a sanguine Teucri proderet ac totum sub leges mitteret orbem IV. 239 et Junone auctore matres in Siculae arvis ignem focis penetralibus rapiunt facesque in naves coniciunt V. 660; neque fato quiescit fracta quamquam fatis Teucrorum regem Aeneam in Italiam venturum non negat.

Fatum per se ineluctabile est qua de causa Aeneae legatus Ilioneus VII. 234 fata per Aeneae iurat, sed moras addi fatumque trahi, proferri deis atque hominibus permittitur quod in aliis apparet ex II. 653 quo Aeneas et Creusa et Ascanius et omnis domus patrem obsecrant, ne fato urguenti incumbat et XII. 395 quo Japis Phoebus dilectus, ut depositi proferret fata parentis scire potestates herbarum usumque medendi maluit et VII. 313 Juno:

non dabitur regnis esto prohibere Latinis,
atque immota manet fatis Lavinia coniunx:
attrahere atque moras tantis licet addere rebus.

et X. 622 quo Juppiter Junoni, ut Turnum fuga tollat atque instantibus eripiat fatis permittit, si mora praesentis leti et tempus caduco iuveni oratur, sin autem istis sub precibus altior ulla venia latet i. e. Turnum mortem effugere fatumque mutari spes est inanis. Quod etiam explanat IV. 696 quo Didonem nec fato nec morte merita perisse sed miseram ante diem subitoque accensa furore dicitur. Ex quo conficitur ut mortalis Jove concedente et instanti morti eripi et ante diem perire possit. Quod autem fatum per se immutabile est, Juppiter Veneri iure I. 257: differ tempus paululum, manent tibi immota tuorum fata, quaecunque Juno conflat atque molitur.

et X. 113: fata viam invenient sive oracula, dicta deorum

recte explanata sive non comprehensa ut etiam IX. 135 sat fatis Venerique datum, tetigere quod arva fertilis Ausoniae Troes.

Restant autem 4 loci II. 778:

. . . . nec te hinc comitem asportare Creusam
fas aut ille sinit superi regnator Olympi. IV. 651:
dulces exuviae, dum fata deusque sinebant. VIII. 398:
nec pater omnipotens Troiam nec fata vetabant
stare decemque alios Priamum superesse per annos. VIII. 572:
at vos o superi et divom tu maxume rector
Juppiter, Arcadii, quaeso miserescite regis
et patrias audite preces, si numina vestra
incolumem Pallanta mihi, si fata reservant. sqq.

Quibus omnibus locis fatum par atque idem quod Juppiter est; at quid praeponendum sit ex illis quidem locis colligi non potest.

X. 8. Separatam autem atque accuratam interpretationem exigunt X. 8 et IX. 94.

X. 8: abnueram bello Italiam concurrere Teucris.

Adnuere apud Vergilium invenitur: I. 250; IX. 106; IX. 625; X. 115; XI. 20; XI. 797; XII. 187 quod ut apparet ex IX. 106; X. 115 consilium Jovis immutabile confirmat fidemque addit Stygii per flumina fratris per pice torrentis atraque voragine ripas. Per analogiam consequenter abnuere declararet interdictum Jovis immutabile, cui nulla universi potestas neque mortalis neque numinis repugnare potest. Nihilominus Junonem Teucris bello concurrere legimus. Vergilium extremum perpoliendi operis laborem non adhibuisse vel potius adhibere non potuisse plane illustrat. Tantum abest ut Juppiter abnuat bello Italiam concurrere Teucris, ut praedicens Veneri fata Dardanidum canat I. 262:

hic bellum ingens geret Italia populosque feroces

contendet, moresque viris et moenia ponet,
tertia dum Latio regnantem viderit aestas
ternaque transierint Rutulis hiberna subactis.

et Juno VII. 313:

non dabitur regnis esto prohibere Latinis
atque immota manet fatis Lavinia coniunx:
at trahere atque moras tanti licet addere rebus,
at licet amborum populos excindere regum.

quo Junoni amborum regum populos excindi a Jove permittitur, priore autem loco Aeneam bellum ingens in Italia gesturum Rutulosque victurum Veneri Zeus praedicit.

Praeterea V. 730 quo somnii species a Jove missa facie parentis Anchisae filio canit voces:

. . . . gens dura atque aspera cultu
debellenda tibi est Latio.

et postremo Deiphobe Glauci Aeneae canit VI. 86:

. . . . bella, horrida bella
et Thybrim multo spumantem sanguine cerno.
non Simois tibi nec Xanthus nec Dorica castra
defuerint; alius Latio iam partus Achilles
natus et ipse dea.

Deiphobae Glauci Phoebus Apollo omnia praedixerat, Apollini autem Juppiter. Nullius igitur Jovem abnuere bello Italiam concurrere Teucris mentionis est neque aliud relinquitur nisi fateri neminem mortalium ne poetas quidem culpa vacare. Universe autem Jovis verbis in deorum concilio nihil actum neque eximium ingenii acumen adhibuisse dici potest. Perlegamus ut exemplo utar X. 107:

quae cuique est fortuna hodie, quam quisque secat spem
Tros Rutulusve suat nullo discrimine habebo etc.

At paucis versibus post Venerem contra Jovis imperium Teucris, Rutulis Junonem auxilium ferre legitur et ipse Jovis

monitu 689 Mezentius ardeus succedit pugnae. Perlevissimi etiam sunt versus XII. 725 sqq.:

> Juppiter ipse duas aequato examine lances
> sustinet et fata inponit diversa duorum,
> quem damnet labor et quo vergat pondere letum.

qui mea quidem sententia imperito interpositi sunt, quod primo ostendit pronomen hic 728, cum illud nunquam per quattuor versus a substantivo, ad quod pertinet, seiungi posset. Praeterea autem hi versus levissime coniuncti dispositione atque distributione carent et ipse, quod summum, deest homericum: ῥέπε δ'αἴσιμον ἦμαρ inclinata autem Turni fatalis dies, sine quo versus supra commemorati comprehendi non possunt. Recte fortasse Macrobius V. 13 qui inferiorem hic Vergilium Homero observat, eo quod Homerus haec dicat, iam antequam appareret utram in partem propenderet victoria; Vergilius autem eadem sero, postquam et praevisum et praedictum fuisset (XII. 149 sq.) Turnum utique periturum: „Haec autem ratio fuit non aequandi omnia, quae ab auctore transcripsit, quod in omni operis sui parte alicuius Homerici loci imitationem volebat inserere, nec tamen humanis viribus illam divinitatem ubique poterat aequare. — Sed haec et alia ignoscenda Vergilio, qui studii circa Homerum nimietate excedit modum et re vera non poterat non in aliquibus minor videri, qui per omnem poesin suam hoc uno est praecipue usus archetypo. Acriter enim in Homerum oculos intendit, ut aemularetur non modo magnitudinem, sed et simplicitatem et praesentiam orationis et tacitam maiestatem. Hinc diversarum inter heroas suos personarum varia magnificatio; hinc deorum interpositio; hinc auctoritas fabulosorum; hinc affectuum naturalis expressio; hinc monumentorum persecutio; hinc parabolarum exaggeratio; hinc torrentis orationis sonitus; hinc rerum singularum cum splendore fastigium.“

IX. 94. O genetrix quo fata vocas? aut quid petis istis?
mortaline manu factae immortale carinae
fas habeant certusque incerta pericula lustret
Aeneas? cui tanta deo permissa potestas?

Qui locus initio sententiae Jovem summum optimum fatumque in eius dicione esse repugnare videtur. Sin autem accuratius perspexeris meliora disces:

1. Quod carinae mortali manu factae immortale fas habeant Juppiter miratur; cui tanta deo permissa potestas? Quo matrem petere permultum, minime vero quod nullo modo fieri potuerit intellegi Juppiter vult, cum paullo post revera navibus eripiat mortalem formam et ut magni aequoris sint deae permittat

2. certusque incerta pericula lustret Aeneas?

Quod Juppiter nulla ratione permittere potuit nisi totum minutatim Aeneae saluti prospiceret neque se cupiditatibus vanis atque inanibus Veneris et Junonis immisceret. Juppiter uniuscuiusque fatum per se destinat neque rationem ac viam quae ad fatum implendum ducit. Tantulum neglegit regnator deum, caelum ac terras qui numine torquet, id ministris suis et deis et hominibus concedit. Ab his et illis via ac cursus rerum dependet, quarum exitus solus a Jove destinatur. Juppiter sin autem talibus in rebus vanis atque inanibus se contereret, sin ut Aeneas certus incerta pericula lustraret permitteret, tempestas saeva Aeneae a Junone perniciei missa inutilis esset, supervacaneum matrum quae faces in naves coniciunt, studium, iurgium et rixa inter Junonem et Venerem inutilia, supervacaneum — totum Vergili carmen.

Juppiter fati confector. Quo facto transeamus ad locos quibus Juppiter consulit, ut fatum ad effectum, ad exitum perducatur neve ulla forte sive fortuna evertatur. I. 237 Venus Jovi:

pollicitu's: quae te, genitor, sententia vertit?
I. 240: quem das finem, rex magne, laborum.
X. 34: cur nunc tua quisquam vertere iussa potest?

cui Juppiter respondet I. 257: confirma, erige animum tuum, manent immota tuorum fata tibi et XII. 803. ventum ad supremum est 806 ulterius temptare veto.

Juppiter Junonis precibus cederat eique permiserat, ut Turni morti moram faceret. Nunc autem fata impleri tempus erat et ulterius temptare deus vetat. IV. 237. quo Juppiter Aeneae Mercurium mittit, ut ei nuntiaret: naviget. haec summa est, hic nostri nuntius esto; praeterea VIII. 381 quo Aeneas Jovis imperiis Rutulorum constat oris.

Juppiter summus. Sequuntur deinde loci quibus universe Juppiter summum numen nominatur ut I. 522 quo Juppiter Didoni novam condere urbem institiaque dedit. XI. 118 cui vitam deus aut sua dextra dedisset vixet, respondet Aeneas Latini legatis. X. 18 Venus:

o pater, o hominum rerumque aeterna potestas?
namque aliud quid sit, quod iam implorare queamus?

cui respondebat pater omnipotens rerum, cui prima potestas insit X. 100 et qui in melius si vult omnia orsa reflectere potest X. 632; qua de causa Juno a Jove petivit XII. 823:

ne vetus indigenas nomen mutare Latinos
neu Troas fieri iubeas Teucrosque vocari

quae omnia 833 Juppiter dat. III. 171 quo Juppiter Aeneae dictaea arva negat et XI. 901 saeva Jovis numina pellunt Turnum tramitem silvae convexum relinquere, obsessos colles et nemora aspera deserere.

Addendi sunt his loci quibus Juppiter ut deus optimus maximus, omnium fatorum praescius est, cum alii dei in his Juno omnipotens coniunx magnanimi partem modo venturi sciant ut I. 261:

fabor enim quando haec te cura remordet
longius et volvens fatorum arcana movebo,

quam ad rem pertinet etiam III. 250 quo Celaeno furiarum maxima Aeneae canit quae ei Phoebus Apollo, Phoebo autem pater omnipotens praedixerat. Quibus autem omnibus locis vi atque auctoritate Jovem fato praestare aliquantum praecurrunt I. 278:

his ego nec metas nec tempora pono
imperium sine fine dedi, quo Juppiter ipse,

nequaquam fatum quod respiciendum est, nec metas nec tempora Romanorum imperio ponit.

Addendi sunt X. 18; X. 100 quibus patri omnipotenti prima atque aeterna potestas omnium rerum inest et XII. 829 quo Juppiter appellatur hominum rerumque repertor qui X. 35 nova fata condere potest et III. 375 hominibusque deisque fata sortitur.

Nunc autem si in extrema commentatione breviter paucis verbis, quid actum atque effectum sit, complectamur, nullo Vergili carminis loco Jovem fato subiectum esse plane ac clare dici nobis confitendum est. Sunt quidem nonnulli quibus Jovis potentia et fati vis simul dominari videntur, quod autem revincitur ac redarguitur locis I. 278; X. 18; X. 100; XII. 829; X. 35; III. 375 quibus unum esse deum cui prima atque aeterna insit potestas, qui homines, fata omniaque reppererit atque condiderit perspicue atque aperte legitur.

Appendix.

Tabula omnium locorum, quibus de Jove, deo, fato aliisque numinibus dicitur.

1. Juppiter.

rex: I. 65
II. 648
X. 2
X. 743 } hominum
I. 241 magnus
V. 553 magnus — Olympi
X. 621
XII. 140 } aetheri Olympi
III. 20 superus coelicolum
III. 375
XII. 851 } deum
XII. 791 omnipotentis Olympi
rector: VIII. 572 maxumus divum
regnator: II. 779 superi Olympi
VII. 558 summi Olympi
X. 437 magni Olympi
IV. 269 deum
repertor: XII. 829 } hominum rerumque
sator: I. 254
XI. 725 } hominum atque deorum
pater: I. 60
III. 251
IV. 25
VI. 592
VII. 141
VII. 770
VIII. 398
X. 100
XII. 178 } omnipotens
I. 665 summus
VI. 780 superum
IX. 495 magnus — divum
I. 65
II. 648
X. 2
X. 743
X. 875 } divom
II. 617 pater

pater: II. 689
V. 690
X. 18
X. 62 } pater
genitor: I. 237
IX. 630
X. 45
XII. 200
XII. 843
VII. 306 deum
X. 668 omnipotens
magnanimus: XII. 144; XII. 878
summus: I. 380
VI. 123 } Juppiter
I. 665 pater
hominum rerumque aeterna potestas X. 18
omnipotens: IV. 220
X. 615
I. 60
III. 251
IV. 25
VI. 592
VII. 141
VII. 770
VIII. 398
X. 100
XII. 178 } pater
II. 689
IV. 206
V. 687
IX. 625 } Juppiter
X. 668 genitor
magnus: III. 104
IX. 209
IX. 82 } Juppiter
I. 241
V. 553 } rex
IX. 495 pater

2. sors.

I. 139; I. 508; II. 201; II. 555; IV. 346; V. 190; VI. 72; VI. 114; VI. 431; VI. 761; VII. 269; IX. 268; X. 450; X. 501; XI. 110; XI. 165; XII. 54; XII. 932.

3. casus.

I. 9; I. 204; I. 221; I. 240; I. 599; I. 614; I. 615; I. 623; I. 754; II. 10; II. 93; II. 105; II. 507; II. 563; II. 750; III. 183; III. 265; III. 299; III. 317; III. 505; III. 709; V. 350; V. 453; VI. 531; VIII. 533; VIII. 578; IX. 211; IX. 277; IX. 291; IX. 299; IX. 514; IX. 723; X. 61; X. 316; X. 791; XI. 244; XII. 21; XII. 32; XII. 61; XII. 321.

4. numen.

I. 8; I. 48; I. 133; I. 447; I. 603; I. 666; I. 674; II. 123; II. 141; II. 154; II. 178; II. 183; II. 232; II. 336; II. 396; II. 622; II. 703; II. 735; II. 776; III. 264; III. 363; III. 372; III. 543; III. 600; III. 633; III. 697; IV. 269; IV. 382; IV. 611; V. 56; V. 466; VI. 50; VI. 68; VI. 266; VI. 324; VI. 368; VII. 119; VII. 297; VII. 310; VII. 385; VII. 584; VIII. 78; VIII. 186; VIII. 512; VIII. 574; IX. 247; IX. 661; X. 31; X. 221; X. 375; XI. 232; XI. 901; XII. 180; XII. 182; XII. 188; XII. 201.

5. parcae.

I. 22; III. 379; V. 798; IX. 107; X. 419; X. 815; XII. 147; XII. 150.

6. fortuna.

I. 240; I. 454; I. 517; I. 628; II. 79; II. 350; II. 387; II. 656; III. 318; III. 493; III. 609; III. 615; IV. 434; IV. 603; IV. 653; V. 22; V. 356; V. 604; V. 710; VI. 62; VI. 95; VI. 533; VI. 615; VI. 683; VII. 559; VIII. 127; VIII. 334; VIII. 578; IX. 41; IX. 214; IX. 240; IX. 282; X. 49; X. 107; X. 284; X. 435; XI. 43; XI. 108; XI. 128; XI. 253; XI. 345; XI. 761; XII. 147; XII. 405; XII. 593; XII. 637; XII. 677; XII. 694; XII. 920.

7. fors.

II. 94; X. 458; XII. 41; XII. 714.

8. fatum.

I. 2; I. 18; I. 32; I. 39; I. 205; I. 222; I. 239; I. 257; I. 262; I. 299; I. 382; I. 546; II. 13; II. 34; II. 54; II. 121; II. 194; II. 246; II. 257; II. 294; II. 433; II. 506; II. 554; II. 653; II. 738; III. 7; III. 9; III. 17; III. 182; III. 337; III. 375; III. 443; III. 494; III. 700; III. 717; IV. 14; IV. 20; IV. 110; IV. 225; IV. 340; IV. 440; IV. 519; IV. 614; IV. 651; IV. 678; IV. 696; V. 656; V. 703; V. 707; V. 709; V. 784; VI. 45; VI. 67; VI. 72; VI. 147; VI. 376; VI. 449; VI. 466; VI. 511; VI. 546; VI. 683; VI. 713; VI. 759; VI. 869; VI. 882; VII. 50; VII. 79; VII. 120; VII. 123; VII. 224; VII. 234; VII. 239; VII. 255; VII. 272; VII. 293; VII. 314; VII. 584; VII. 594; VIII. 12; VIII. 133; VIII. 292; VIII. 334; VIII. 375; VIII. 398; VIII. 477; VIII. 499; VIII. 512; VIII. 575; VIII. 731; IX. 94; IX. 107; IX. 135; IX. 137; IX. 204; IX. 643; X. 35; X. 67; X. 109; X. 113; X. 154; X. 380; X. 417; X. 438; X. 472;

X. 501; X. 624; X. 740; XI. 97; XI. 112; XI. 160; XI. 287; XI. 587; XI. 701; XI. 759; XII. 111; XII. 149; XII. 395; XII. 507; XII. 610; XII. 676; XII. 726; XII. 795; XII. 819.

9. fatalis.

II. 165; II. 237; IV. 355; V. 82; VI. 409; VI. 515; VII. 115; IX. 133; XI. 130; XI. 232; XII. 232; XII. 919.

10. fatifer.

VIII. 621; IX. 631.

11. fas.

II. 778; IX. 96; VI. 438.

Lipsiae: Typis Hessi & Beckeri